Dissertatio inauguralis medico-forensis de violenta sexus sequioris violatione ... / conscripsit Carolus Ehrengruber.

Contributors

Ehrengruber, Carolus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Budae : Typis Regia Universitatis Hungariae, 1841.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ksa6m4ze

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

4.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-FORENSIS

DE

VIOLENTA SEXUS SEQUIORIS VIOLATIONE,

QUAM

ONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS, PECTABILIS DOMINI DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM DD. ROFESSORUM, IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENT. NIVERSITATE HUNGARJCA, PRO DOCTORATUS MEDICINAE LAUREA OBTINENDA

CONSCRIPSIT

CAROLUS EHRENGRUBER,

NITRIA NITRIENSIS.

Theses adnexae defendentur in aedibus Universitatis die

BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVESITATIS HUNGARIAE.

1841.

SPECTABILI AC CLARISSIMO

DOMINO DOMINO

LEOPOLDO A WINDISCH

MED. ET CHIR. DOCTORI, L. R. C. PESTIENSIS PHYSICO PRIMARIO, NEC NON NOSOCOMII CIVICI AD S. ROCHUM DIRECTORI, ET MEDICO PRIMARIO; INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE IN UNIVERSITATE HUNGARICA MEMBRO COLLEGIATO; SOCIETATIS MEDICORUM PRACTICORUM VINDOBONENSIUM MEMBRO CORRESPONDENTI; INCLYTI COMITATUS NITRIENSIS TABULAE JUDICIARIAE ASSESSORI etc. etc.

VIRO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

NEC NON

HUMANITATE AC BENEVOLENTIA

AEQUE INSIGNI

INPIGNUS PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS

GRATIQUE ANIMI

HASCE LABORUM SUORUM PRIMATIAS

DEDICAT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Tam leges morales, quam positivae volunt, ut cives mediante matrimonio, modo et ordine, quem natura ipsa praescripsit, debitum et legitimum faciant facultatum sexualium usum, omnis alius usus harum facultatum, est abusus rectae rationi e diametro oppositus, naturam rationalem turpiter dehonestans, ipsique saluti publicae Civitatis damnosus, et exitialis, quod moralitatem, educationem civium, frequentiam connubiorum, sine quibus felicitas civilis consistere nequit, summopere labefactet et corrumpat; hinc est, quod legibus omnium cultiorum populorum, *illegalis libidinis expletio, delictum carnis*, poena jam criminali jam politica severe coerceatur.

Delicta carnis, quo nomine omnis illegatis libidinis expletio comprehenditur, passim a doctoribus in *propria* et *inpropria* dispescuntur. Ad propria referuntur: 1. *Stuprum*. 2. *Fornicatio*. 3. *Concubinatus*. 4. *Incestus*. 5. *Adulterium*. 6. *Bigamia*. 7. *Stuprum violentum* (postrema tria in jure criminali, cum ex notione sua veram laesionem jurium determinatae personae involvant, seriem delictorum carnis noc ingregiuntur) quibus 8-o propter inversionem ordinis naturae accensetur *Sodamia* tendunt omnia ad libidinem illegaliter explendam. — Ad

inpropria, quae viam quodammodo sternunt et ad explendam libidinem ducunt, refertur *Lenocinium*. Hoc loco de *stupro violento* solum sermo est.

Gravitatem, dignitatemque objecti hujus, paucis perlustrandi, nemo ibit inficias, qui attenta perpenderit mente, agi in eodem de honore, bona fama, nec non temporali felicitate personarum sexus sequioris. Priusquam tamen nos in rem uberius imittamus, consideremus velim, quemnam locum sexus foemineus sibi in societate humana vindicet, ut tum eo facilius perspiciamus, quanti intersit inermem hanc entium rationalium cohortem tueri et ab omni labe immunem servare.

An non foemina, socia, particepsque plurimarum nostrarum deliciarum — consolatrix afflictorum est? An non haec fidelis amica est, in qua unice confidimus, fatis succumbentes — calamitatibus et curis obnoxii — cum paupertate et morbis colluctantes? An non foemina prolium nostrarum mater est — nutrix nostrae infantiae — solatium aetatis virilis — ornamentum naturae? Si vero foemina idmodi ens est, quid quaeso magis consentaneum videbitur, quam illius castitatem et innocentiam, qua nihil pulchrius, nihil amabilius existit, quae pretiosissimum virginis bonum constituit, quae semel amissa nunquam restituitur, immaculatam conservare? Cum autem neminem lateat, magnam partem virorum, ubique terrarum, cujusvis conditionis libidini adeo deditam esse, ut dicere non erubescat, foeminam a natura unice explendis suis voluptatibus carnalibus destinatam esse; certe major meliorque pars mecum consentiet in eo, haud exiguum in genus humanum redundare beneficium exinde, quod status et jurisdictiones omnes, editis severissimis legibus sexum sequiorem adversus omnem vim, pudicitiae illarum inferendam, strenue defendant, vio-

latores autem gravissimis adficiant poenis. — Non igitur superfluum mihi videbatur paucis adnotare, quid diversis temporibus, locisque molitum fuerit, ut nefandum delictum stupri violenti, in arctissimos restringatur limites, aut plane ex integro eradicetur.

Juxta leges Mosaicas violentia virgini necdum desponsatae illata, mulcta pecuniaria patri praestanda puniebatur, seductorque insuper cum deflorata matrimonium, nunquam amplius solvendum, inire cogebatur; si vero haec jam desponsata fuisset, capite damnabatur. Non absimili ratione et Graeci delicto huic poenam mortis dictarunt. Romanis autem simplex poena mortis insufficiens videbatur, hinc reus in rogo vivus comburebatur, aut in amphitheatro feris bestiis dilaniandus objiciebatur.

Jus Saxonium, et imprimis leges Regis *Athelstan*, stuprum violentum morte puniunt. Sic sonant et Constitutiones Gotharum.

In Anglia regnante *Vilhelmo Victore* poena mortis in eam Castrationis mutata est, si tamen deflorata seductorem, cum consensu cognatorum et Judicis, in maritum expeteret, poena emansit. — Lex haec usque ad tempora *Henrici* IIIi in pleno mansit vigore; ubi in tantum modificata fuerat, ut delatio post actum violentum sine interposita mora, locum habeat. Sub *Eduardo* I-o delictum hoc inter simplicia relatum, carcere biennali, et mulcta pecuniaria Regi pendenda, insigniebatur. Juxta edictum *Georgii* IVi 1828. Seductor tunc tantum morte puniendus est, si violata 10 aetatis annum necdum complevisset, secus poena carceris tantum afficiendus.

In Scotia coitus violentus consumatus poenam mortis exigit, ni violata fateatur se postmodum in eum con-

sensisse, quo in casu carceres, confiscatio bonorum v. mulcta pecunjaria sufficit.

Secundum Codicem Galliae antiquum reus capite damnandus erat; juxta *Code Napoleon* carcer aliquot annorum, diris laboribus junctus, stupro violento in poeam dictatur.

In America poena hujus delicti in variis statibus varia est, nunquam tamen ad illam mortis extenditur.

Jus Criminale Bavar. I. Th. art. 186—180 tres gradus hujus criminis definit, nempe : stuprum violentum absque periculo sanitatis aut vitae illatum punit levi ergastulo, a 4 ad 8 annos, juncta annua castigatione corporali. Si committatur in personam infra annos 12 natam, aut si per vim et coitum sanitati damnum datum, poena augetur ab 8 usque 16 annos. Si denique personam laesam plane ob illatam vim mori contingat, violentus stuprator afficitur morte.

Jus Crim. Austriacum § 110—112. stuprum violentum afficit carcere a quinque ad decem annos, qui ad 20 quoque annos extendi pótest, si per exercitam violentiam sanitati aut vitae noxa illata sit.

In Hungaria de coitu violento plures existunt legales determinationes. — Praxi fororum ex lege *Ludovici* II. D. IV. art. 36. qua *in violatores puellarum, ac mulierum*, qui fuerint, poena capitalis statuitur, stupratorem violentum absque discrimine status et conditionis manet poena gladii, nec rustici, ut olim, delicti hujus rei, infamiam aut perpetuae servitutis jugum incurrunt. Jure antiquo — speciatim *S. Ladisl.* D. L. I. C. 32. stuprum violentum aequiparabatur homicidio. *Ulndisl.* Decret. VII. art. 47. rei hujus criminis horrenda nece perire jubentur, imo sanctio legis in filios et fratres, totamque generationem delinquentis extensa est. Lex

haec occasionalis tantum, in rusticos tumultuantes lata, crudelis et injusta, temporibusque nostris amplius non conveniens. Hodie itaque arbitrariam Judex dictabit.

Haec praemittenda erant, ut exinde appareat, quanti delictum hocce nefandum apud nationes omnes habitum sit, quaeve illius reos poena manserit; quae omnia medicum forensem, si in casibus similibus ad depromendam suam opinionem, judicialiter requisitus fuerit, dirigent, ad investigationem omni cum circumspectione instituendam impellent, et ad rite formandam, ex solerter examinatis omnibus cum casu praesenti in nexu existentibus circumstantiis, signisque tam physicis quam physiologicis promanantem conclusionem inviabunt. Medicus enim forensis semper prae oculis habeat, quod nullius sceleris quis tam facile incusari possit, quam hujus, et quod nullibi inculpato tanta. innocentiae suae demonstrandae, opponantur impedimenta. Persona enim ex supposito violata, non tantum actor est, querelam jure jurando confirmans suam, sed simul et testis competens.

Stuprum violentum, sensu legali, est „*citra consensum foeminae in corpore ejus, ex parte viri, violenter peracta cognitio carnalis.*" — Olim sub voce *cognitio carnalis* subintelligebatur *actus consumatus coitus*, nempe perfecta immissio membri virilis, et evacuatio seminis in muliebria: Ast cum postrema haec conditio. evacuatio nempe seminis, maximas persaepe pareret in convincendo crimine difficultates, abolita est atque statutum: ut actus cognitio carnalis violenta dicatur, sufficiat demonstrare, penis in vaginam immissionem reipsa locum habuisse. Imo rem parte ex morali considerando hoc quoque superfluum videtur, et ipsum jam attentatum juxta meam opinionem sufficeret, ut brutalis ille sedu-

ctor, qui virginis pudicitiae, innocentiaeque insidias struit, criminaliter convincatur. Copula enim carnalis consumata, in virgine robusta, sana, adultiorique, si haec consensum suum non praebuerit, necessariamque resistentiam opposuerit, limites possibilitatis excedit. Huic meo asserto favet etiam peculiaris illa inter animum et facultates sexuales intercedens consensualis relatio.

Quem influxum animi affectus in functiones sexuales exerant, quotidiana docet experientia. Videmus enim in individuis, lascivis ideis deditis, non tantum erectiones penis diuturnas, saepe dolentes provocari, verum etiam aucta secretione semen citra coitum evacuari, et e contra individua, quorum animus aliis objectis e. gr. meditationibus phylosophicis vividius occupatur, stimulo sexuali vix exagitantur, suntque erga copulum carnalem ita frigidi, quasi impotentes essent. Hac de causa ipse etiam actus coitus in suo effectu varias subit mutationes, hinc si sub copula repente attentio viri in aliud quodpiam dirigatur objectum, membrum illius collabitur, et coitus consumari non potest. Hinc ergo sequitur, non esse verosimile, ut virgo sana, robusta vi resistens, si vir tantum unicus fuerit, et nisi hic remediis utatur, stuprari possit, necquidem tunc, si resistendo in tantum viribus exhauriatur, ut nullo amplius impedimento opponendo par sit. Animus etenim viri in lucta, quam cum puella violanda, castitatem suam immaculatam conservare adnitente, experiri debet, tantopere abstrahitur ab actu coitus, et dirigitur in victimam, quam libidini suae inmolare intendebat, superandam, ut praescindendo a lassitudine corporis jam ipse hic animi status, introductionem penis collapsi in vaginam, impossibilem reddat. — Hoc respectu quidem non omnes scriptores de Juris-

prudentia medica mecum consentient; interim ego de veritate hujus asserti, auctoritate multorum celeber. virorum stipatus tantopere convictus sum, ut ab illo nullo modo recedere possim. — Sic in „*Pandectae Valentini*" (Vol. I. p. 61.) adnotatum habetur responsum Facultatis medicae Lipsiensis ad propositam quaestionem: An vir unicus foeminam sanam violenter stuprare possit? Ubi assertitur: *Si circumstantias, quae in actu coeundi concurrunt, consideramus, non credibile, nec possibile videtur, quod unus masculus nubilem virginem (excipe impubem, teneram, delicatam, aut simul ebriam puellam) absque ipsius consensu, permissione atque voluntate vitiare, aut violento modo stuprare possit, dum foeminae cuilibet facilius sit ut si velit, penis immissionem recusare v. multis aliis modis impedire, quam viro eidem invitae plane intrudere.*

Non possum hic loci silentio praeterire celebris illius Gubernatoris Baratariae *Sancho Panza* sapientem agendi modum, qui dum de comissa ex supposito stupratione violenta, sententiam ferre debuisset, parte utraque exaudita, inculpatum certam pecuniae summam, inculpanti solvere jussit, quo facto puella Judicis sapientiam et justitiam ad astra extollendo discedit. Insequere confestim puellam — ait nunc Sancho ad inculpatum. — Et deme illi marsupium datum. Accusatus obedit; sed post longam inanemque dimicationem partes ambae ad Judicem revertuntur. Puella virum latrocinii accusat, dum hic frustra se conatum fuisse asserit, Judicis mandatum adimplere. — Quid — exclamat Sancho — Tu non cessisti marsupium? Non — respondet puella — habui enim curam, ne id, quod meum est, mihi eripiatur. Et justum est — reponit Gubernator —; verum nunc praecipio ut datam pecuniam restituas; delictum enim, cujus

virum accusas, perpetratum non fuisset, si tam zelose conata fuisses castitatem tuam conservare, quanto labore rem possessam defendisti. — Etiam *Delamotte*, scriptor Gallus enarrat attentatum stupri violenti, virgini formosae sanae, annorum 18 filiae cauponis cujusdam inferendi, quae tamen seductori iniquo tam efficacem resistentiam opposuit, ut non obstante eo, quod 5 sceleris socii eidem assisterent, virginique deflorandae brachia, pedes et caput servarent, scopum desideratum non fuerit assecutus. — Non tamen ubique tanto labore opus est!

Hinc illa tantum persona de stupro violento queri potest, quae reapse invita, frustraque reluctata, veram vim passa est, nequaquam autem, cui grata vis illa fuit, quaeque etsi initio fortiter reluctata est, tandem tamen manibus parcens stupratoris voluntati consensit. Vi tamen aequiparantur etiam minae capitales, quibns foemina in periculum vitae, aut incolumitatis corporis venit. — Vis, in tanta multarum foeminarum facilitate, nequaquam praesumenda, indiget probatione, quae fit modo vel inartificiali, quando e. gr. adsunt vulnera, tubera, vestesque dilaceratae, v. artificiali per conjecturas et praesumtiones, a conditione personarum, loco, tempore, aliisque rerum attributis petendas. Ita e. gr. quae sibi aut saepius, aut ab homine debiliore, eoque armis haud instructo, in loco, ubi vulgo iter fit, aut hominum copia est, vim illatam esse queritur; quae porro diu tacuit, rationemque, quare tacuerit, reddere nequit, cui denique cum eo, quem stupri violenti arguit, aut familiaritas fuit, aut amicitia intercessit, fidei parum aut nihil meretur.

Distinguitur *stuprum violentum* (quod in se com-

prehendit : Incestum violentum, adulterium violent: et stuprum viol. sensu stricto).

1-o. A *stupro sensu stricto*, quod est concubitus illicitus non violentus tamen inter solutam et solutum honeste viventem, nec cum ea sanguine junctam. Per personam *honestam* seu sit virgo, seu vidua talis intelligitur, quae non indiscriminatim, nec cuilibet concumbit, etiamsi antea succubuisset. Quae vero vulgo se prostituit seu pro mercede, seu solius libidinis explendae causa, dicitur *meretrix*. Concubitus illicitus cum meretrice *fornicatio*, *venus vaga* audit. Poena stupri et fornicationis legibus nostris est arbitraria, quae tamen augeri potest propter circumstantias aggravantes, quales sunt deceptio fraudulenta, singularis corruptela aut perfidia, lues venerea e concubitu orta, et personarum qualitas et nexus. Exemplo sint stupra, quae a tutore cum pupilla; a magistro cum discipula; a custode carcerum cum captiva; et a sacerdotibus per abusum officii fiunt.

2-o. A *stupro non voluntario*, seu *stupro nec voluntario nec violento*, quod est concubitus absque libera voluntate unius citra vim susceptus. Praestruit itaque hoc delictum talem personam ut objectum, quae tempore coitus judicii et rationis expers fuerat, ut de juribus suis libere disponere non potuerit, veluti si concubitus eveniat in dormientibus, ebriis, furiosis, dementibus aut impuberibus, quorum vires animae ita cultae non sunt, ut illis concubitus imputari nequeat. — Poena est arbitraria, durius licet puniendum sit, quam stuprum voluntarium. —

Restat nunc exponere signa, quae medicum forensem certum reddant, an in casu dubio, suspecto stuprum violentum revera tale locum habuerit, nec ne? Hic tamen monendum inculpationem post commissum

violentum actum sine mora faciendam esse. Testimonium enim medicum, signis physicis stupri violenti superstructum, tunc saltem valorem aliquem habebit, si casus adhuc recens sit. — Hoc tamen non obstante, nullus adhuc terminus praefixus est, intra quem puella violata litem coram judice movere debeat.

Cum autem Jus criminale non tantum limitatum sit ad stuprum violentum virgini illatum, sed et alias, prius jam viro, non tamen promiscue, carnaliter copulatas complectatur, necessarium putavi, materiam hanc in duas principales partes subdividere, quarum *prima* continet signa stupri violenti *in virgine pura* commissi; *altera* vero signa, quae stuprum violentum in *foemina jam prius viro carnaliter mixta*, relinquit, complectitur.

I. *Signa pysica stupri violenti in virgine commissi.*

Priusquam assignare valeamus signa stupri violenti virgini illati, quaerendum erit : *quaenam sint criteria physica virginitatis?* Ut quaestionem hanc expediamus, ante omnia aetatis individualis rationem habere debemus. Concesso etenim eo, dari revera signa physica virginitatis infallibilia, secundum quae medicus edicta sua dirigere queat, negari tamen non potest, haec per aetatem, sanitatis statum, aliasque circumstantias notabiliter modificari. — His praemissis repraesentemus nunc nobis sanam, robustam, nubilem puellam, quae viro adhuc nunquam carnaliter copulata fuerat, in hac sub inspectione organorum genitalium sequentia semet visui sistent :

1-o Labia pudendorum firma, elastica, conniventia, clitoris recondita, interiora versus rosea; dum hae partes in alia violata plus minus flaccidae et tensae deprehenduntur. Frenum labiorum, commissura posterior

pudendorum pari ratione compacta, firma protuberans sit. Interim haec a constitutione corporis individuali multum dependent, quare nihil probant cum insuper saepe et post partum immutatae persistant.

Ceterum probe notandum statum hunc partium, nunc descriptum, virginibus sanis, robustis esse proprium. Apud teneras enim, delicatas, infirmas, aut juvenes puellas, tum et apud eas, quae Leucorrhoca laborant, compages haec firma, elastica desideratur, partesque hae possunt esse pallidae, flaccidae, quin tamen dubio ulli, de illarum virginitate locus concedatur.

2do. Nymphae in virgine intacta sunt parvae, aspectum laete roseum exhibentes, nec anteriora versus extensae. Hic loci tamen non tantum status sanitatis rationem habere, sed insuper animadvertere debemus, nymphas, in puellis non europaeis, clima calidius incolentibus e. gr. Aethiopibus, Mandingos et Hottentottis, non tantum magis anteriora versus propagatas, sed saepe et apud virgines ultra marginem labiorum protrusas esse. — Interim et puellae europeae sunt in morbos nympharum proclives, in sequelam quorum hae majores et anteriora versus protrusae observantur. Quare nec auctae mole nymphae pro signo amissae virginitatis haberi possunt.

3tio. In sana, bene evoluta virgine europea clitoris est parva, parsque illius glandi penis respondens, praeputio non tegitur, dum in aliis viro copulatis, communiter tecta cernitur.

4to. In virgine orificium urethrae perfectae velatum esse solet, post celebratos vero coitus velamento destituitur. Ast utrumque hoc signum dubiae etiam est indolis.

5to. Multo certius signum virginitatis, quam omnia

hucdum enumerata consistere videtur in angusta vagina. Et reapse orificium vaginae in virgine intacta multo angustius est, quam in alia copulam carnalem cum viro saepius experta. Facies interna vaginae in virgine membrana mucosa transversim plicata vel rugosa obducitur, eo fini inserviente, ut partes hae tempore partus normaliter extensae caput foetus transmittant. Plicae hae et rugae post saepius celebratos coitus, et imprimis apud foeminas, quae saepius pepererunt, fere ex integro disparent. Sed et hocce signum intactae castitatis multas et essentiales subit modificationes per aetatem, sanitatis statum et nonnullos morbos; sic e. gr. in Leucorrhoea, Menorrhagia ampliatio vaginae saepe major est, quam apud foeminas plurium prolium matres. Si igitur ab his signis ad aliquid concludendum est, vitae conditionis, characteris moralis, religiositatis rationem habeamus est necesse; certum enim est, perversas quaspiam lascivasque consvetudines similes producere vaginae mutationes illis, quae secus coitui adscribuntur.

6to. Ultimum signum immaculatae virginitatis passim in illaesa membrana *Hymen* reponitur, de cujus tamen valore diversae existunt opiniones. Constituit vero hymen membranam semilunarem, inferiorem orificii vaginae partem tegentem; interdum annularem, in medio perforatam; rarissime imperforatam, vaginae ita adhaerentem ut canalis perfecte occludatur. Texturam illius varii, variam dicunt: *Soranus* membranosam; *Avicenna* ligamentosam et venosam; *Rolanus* carnosam; *Berengarius* cellulosam, vasculoso et ligamentoso tenero textu constantem; *Spigelius* partim carnosam, partim nervosam vocat. — Secundum *Davis* diversitas haec opinionum in eo fundata esse videtur, quod hymen in nonnullis indi-

viduis texturae revera membranosae, in aliis carnosae inveniatur.

Quamvis vero multi scriptores, inter ceteros Dr *Denman*, illaesam membranam hanc pro infallibili criterio intaminatae virginitatis habeant, multa tamen obversantur momenta rationalia, quae vetant, ab illius absentia ad praegressum coitum concludere; imo fieri potest et observatum est, ut in casu contrario hymen plane post praegressam graviditatem integrum permanserit. — In casibus pluribus hymen plane nunquam praesens fuisse visum est, hinc factum est, ut plures celebres Anatomi illius existentiam negarent, et *Ambroise Karde*, *Diavis*, *Columbus* et *Büffon*, membranam hanc tanquam accidentalem formationem considerarent. *Fallopius* sectiones instituit in pluribus millibus personarum sexus alterius, sed membranam hanc in ternis tantum invenit. *Haller* hymen in foeminis cujusvis aetatis; et *Gavard* anatomus gallus in foemina 50 annos nata illaesum invenit. Negari igitur haud potest, membranam hanc appendicem naturalem organorum genitalium muliebrium efficere, infallibile tamen criterium virginitatis vix constituit. — Communiter tamen hymen, qualiscunque illius structura sit, primo sub coitu laceratur, et ideo apud nonnullas nationes indusia nuptialia, in signum conservatae ad illud tempus virginitatis, a Neogamis conservantur. Sic olim moris fuit apud Judaeos, qui signum hocce maximi pendebant, inque puritate et castitatae sponsae tantum reponebant, ut si indusia illa vestigia sanguinis non exhiberent, mulier pro incasta declararetur, et ad postes paternos lapidibus obrueretur.

Quod vero puella salva etiam integritate hymenis, vitam tamen lascivam ducere potuerit, demonstrat *Gavard*, qui puellam annorum 13 morbo syphilitico, in

domo publica meretricum post coitum impurum contracto, laborantem, investigans, hymen illaesum reperit. — Praescindendo vero a morbosis illis statibus hymenis, qui coitum penitus impossibilem reddunt, membrana haec in casibus multis plane post conceptionem permanet inviolata. Prof. *Baudelocque* mentionem facit casuum similium duorum; *Ruysch* citat casum, in quo occasionem habuit non tantum hymen, verum et aliam adhuc membranam profundius sitam inscindendi, post quam operationem fetus immediate in lucem editus est; Dr *Merriman* in sua synopsi casum similem, qua causam *Dystociae obturatoriae*, adducit. Singularis, memoratuque digna est de hoc objecto opinio *Ruyschii*, qui affirmat: „Hymen saepe illaesum permanere post coitum, fluxum catameniorm immediate insequentem.“ De hujus tamen asserti veritate justum subversatur multorum aliorum dubium. Existit omnino interdum firma quaedam expansio membranacea intra vaginam, haec tamen a Hymene diversa est.

His omnibus rite expensis vix concipi potest, quomodo *Beck*, in praesentia hymenis inviolati, qua signo virginitatis, tantum quaerat valorem. Defectus enim hymenis nullum adhuc suppeditat argumentum subsecutae deflorationis, non enim sumus pares dijudicando, an labefactatio haec sequela sit causarum extraordinariarum, quibus omnino saepius cedit, aut pressionis fluxus menstrui, aut denique ipsius coitus. Non raro locum hymenis explent *carunculae myrtiformes*, quae nequaquam, ut passim creditur, illius rudera constituunt. Hinc in solvenda quaestione: An persona quaepiam virgo sit? praesentia vel absentia hymenis, argumentum suppeditat ponderis exigui.

Ex hucusque recensitis abunde patet: *nulla dari*

infallibilia signa physica virginitatis. Justa hinc exsurgit quaestio : quibus fontibus et principiis stipatus medicus legalis, sententiam dabit, si puellam, cujus querela de vi pudicitiae suae illata, infundata, aut ex malitia vel vindictae studio proveniens existimatur, investigare debet? si in casu simili medicus vigorem quemdam et elasticitatem genitalium deprehenderit, si hymen vel carunculae myrtiformes praesentes, orificium vero vaginae angustum fuerit, tunc cum probabilitate concludedere poterit, puellam adhuc virginem, querelam autem infundatam esse. Si vero organa generationis externa pallida invenerit, si carunculae myrtiformes et ligamentum vix conspiciantur, si caro mollis, flaccida fuerit; si vagina ampliata, orificium urethrae patens deprehensa fuerint, si insuper persona characteris moralis suspecti sit, cum eadem probabilitate concludet, individuum tale longiori jam tempore veneris castra secutum fuisse, et querelam pariter falsam considerabit. — Interim haec omnia valent tantum de puellis invenibus, sanis, 25 aetatis annum necdum superantibus.

In casu tamen omni investigationes hujus indolis, cum summa circumspectione et modestia medicus instituet, cavebitque ne per rudes manipulationes partes investigandas in talem statum redigat, in quali easdem invenire vult. In impuberibus vestigationes hae non tantis premuntur difficultatibus, laesiones enim in his tam manifestae sunt et inflammationes saepe tam conspicuae, ut incessum impediant.

Hucdum demonstrare tentavi, quod secundum meam opinionem, quae auctoritate Morgagni, aliorumque excellentissimorum Physiologorum nostri aevi, confirmatur, nulla existant infallabilia, certaque signa physica aut anatomica virginitatis; restabit nunc resolvere, quibus

rationibus adjutus medicusforensis cum eertitudine definiet, cum corpore virginis violentum factum fuisse abusum?

Ut medicus forensis ad ferendam sententiam in casu simili dubio judicialiter provocatus, hanc cum certitudine aliqua statuat, ante omnia requiritur ut investigatio post actum violentum commissum sine mora interposita instituatur, utque aetatem virginis violatae, omnesque circumstantias, in aliqua correlatione cum casu, coram se habente, existentes, sibi notas reddat. His omnibus ita se habitis, si investiganti puellam juvenem, hymen lacerum, cruentum in oculos inciderit, si tumor, contusio et in genere partium genitalium laceratio manifesta adfuerit, querela justa, fideque digna erit. Si violata adhuc annos pubertatis non attigit, saepe et laceratio perinaci locum habebit. In puella adultiori, fortiori, quae violatori notabilem resistentiam opponere valet, praeter signa hucdum recensita, adhuc alia vim denotantia aderunt. — Ceterum signa haec non sunt necessaria, si quis in conjugem alterius incidat, dum haec rem cum proprio marito se habere existimat.

Si in puellis violatis, tertio aut quarto die post actum ex supposito violentum, symptomata syphilidis se manifestaverint, etsi inculpatus eidem malo etiam obnoxius fuerit, veritas asserti haud in duqium erit vocanda. Interdum juvenes puellae victimae succumbunt brutalitati virorum Gonorrhoea laborantium, securissimumque remedium morbum debellandi in coitu cum virgine pura erronee quaerentium.

Caveat attamen medicus, ne mutationes in partibus genitalibus morbose productas, cum illis stupri violenti confundat. Sic in nonnullis casibus febris typhodes, organa genitalia foeminea admodum inflammata, exulcerata, dolorifica occurrunt, imo non raro plane in gan-

graenam abeunt. — Datur tamen adhuc et alter status morbosus, organa genitalia puellarum impuberum comprehendens, a *Kinder-Wood* observatus et descriptus. Consistit hic in inflammatione labii unius aut utriusque, mole simul aucti pudendorum, quae mox etiam ad clitoridem, nymphas et hymen extenditur. Partes inflammatae profundioris sunt coloris. — Dolor, sub excretione urinae praesens, demonstrare videtur, inflammationem etiam in urethra saevire, secretumque tenue, hac sub periodo ex eadem proveniens, verosimile reddit, partes profundius quoque sitas affectas esse. — Nisi symptomata haec oportuno tempore, institutis lotionibus sedantibus, adstringentibus, exhibitis purgantibus et china tollantur, comparet exulceratio, ac tandem sequitur mors. — Tertius denique status morbosus, quo interdum puellae juvenes divexantur, et qui non raro a Laicis, saepe et Medicis pro sequelis coitus violenti habetur, analogiam sammam cum Gonorhoea monstrans, est etiam cum dolore notabili urente, sub excretione urinae, conjunctus; huic optime per lotiones frigidas et purgantia mitiora occurritur. — Cum vero casus illi — ut recte monet *Mr. Wood* — quod individua a Parentibus violentiae filiabus suis illatae, inculpentur, non adeo rari sint, ignorantia mutationum morbosarum supra descriptarum, examenque symptomatum superficialiter institutum, sententiam reddet maxime erroneam, sequelasque periculosissimas post se trahere potest.

Memoria dignas quaspiam adnotationes de hoc objecto legere licet in *Sir Artley Cooperi* praelectionibus chirurgicis: — „Unius rei — inquit ille — imprimis attentos reddere volo. Puellae anni unius, imo et juniores, usque ad annos pubertatis, saepe fluxu purulento ex pudendis laborant, qui praeprimis infra praeputium

clitoridis exoritur. Nymphae, orificium vaginae et urethra sunt in statu inflammatorio, secernuntque materiam purulentam, vestimenta et stragula inficientem. — Mater anxia suspicatur, quod cum filia indecenti modo actum fuerit medicumque consulit, qui proh dolor! status morbosi supra expositi inscius, matrem in summe erronea opinione confirmat, et sic non raro ansam tristissimarum sequelarum praebet. — Votis meis responderet, si quivis praesentium statum hunc morbosum cognoscere adniteretur, atque ut meae in similibus casibus factae observationes per Regnum latius extendantur. — Si puella impuber fluxu hoc purulento laborare incipit, partes genitales calent, parumper inflammantur, non raro et exulcerantur."

In puellis adultioribus signa violenter ereptae virginitatis obscuriora sunt, quam in impuberibus tenellis, atque sub inspectione organorm genitalium, nulla saepe signa physica invenire licet, imo ipsa etiam vestigia vis illatae, si resistentia adeo magna non fuerat, brevi penitus disparent. — Cum tamen querimoniae hae non adeo rarae sint, medicus forensis dolum et imposturam a veritate sollicite distinguere studeat. — Sic in puella nubili, ex supposito violenter stuprata, symptomata omnia vis illatae, inveniri possunt, quin tamen haec revera resultata sint coitus primavice consummati, aut vis illius, quae sequela violenti abusus corporis virginei est. Non raro enim puellae partes genitalium externas studio laedunt, ut individuum quoddam, de quo vindictam quacunque ex causa sumere volunt, periculo exponant.

In genere ergo concedendum erit, nulla existere signa anatomica, quibus existentia virginitatis erui possit. Singillatim considerata nihil probant, omnia vero

simul sumta, in nexu cum historia casus, aliquam tantum pariunt probabilitatem.

Ceterum in investigationibus hujus generis aetas etiam et constitutio inculpati in considerationem est sumenda. Jus quidem criminale v. gr. puerum necdum 14 annos natum stupri violenti committendi incapacem declarat, quod tamen delictum hoc faventibus circumstantiis in aetatis periodo multo teneriori committi possit, non est a vero alienum; quemadmodum parte ex altera determinare admodum arduum est, in qua periodo aetatis provectioris vir impotens censendus sit, puellae juveni tenellae, nullum renisum opponenti, violentiam inferendi.

II. *Signa stupri violenti in foemina jam prius viro carnaliter mixta.*

In casibus similibus nonnisi instituta individuali deferentis investigatione veritas rei erui potest; in foemina tamen nupta viro vestigia omnia illatae vis tam clara et manifesta esse debent, ut errori nulli, nullique dubio locus concedatur. Neque minus attenta mente considerandae veniunt vires relativae partis utriusque, status foeminae, an rationis compos, animo praesens, aut conscientia privata vel morbis exhausta fuerit?

Si igitur mulier aut meretrix virum aliquem violentiae sibi illatae incuset, quaeritur quomodo hoc in casu veritas a dolo discernenda sit?

1. Si corporis vires relativae partis utriusque aequales, aut plane illae foeminae superiores fuerint viribus maris, veritas querelae ambigua suspectaque erit.

2. Si foemina fortiter reluctata fuerit, tunc etsi labia, nymphae et ligamentum illaesum fuerit, in brachiis, femoribus, latere utroque, imo et partibus aliis

corporis vestigia manifesta vis illatae reperire licebit, qualia concubitus voluntarius nequaquam relinquere solet. — Interim sufficit demonstrare coitum vi extortum fuisse, major aut minor gradns vis adhibitae non consideratur.

3. Aetas, constitutio, organaque genitalia accusati sollicite investiganda erunt; non enim verosimile est, ut v. gr. vir aetate fractus in statu sit obstaculorum superandorum, quae eidem foemina, aut puella juvenis sana opponere valebit. Negari quidem haud potest, minis capitalibus, vi aequiparandis, id effici, ut foemina meticulosa, inermis reddita votis respondeat adversarii; hoc tamen in casu character moralis foeminae querentis probe examinandus erit.

Si foemina post coitum violentum morte exstinguatur, desiderabitur testimonium legitimum, num coitus cum aut sine illius consensu consumatus fuerit, delatusque semet excusare poterit, quod eidem consentienti concubuerit. In casu tali sectio legalis rem elugubrabit; et siquidem puella mortua adhuc virgo fuerat, organa genitalia non tantum externa, sed et interna caute investiganda, inventaque protocollo inserenda erunt. Constitutio labiorum, nympharum, clitoridis, vaginae et ligamenti, maximi est momenti. — Necessarium praeterea erit investigare : num hymen ruptum sit? an liquidum quodpiam in vagina praesens, cujusve illud indolis fuerit? in quo denique statu ovaria, osque uteri deprehendantur? In omni insuper casu oris status etiam sollicite inquirendus erit, quod saepe per ingesta strophia, linteamina, ad impediendum clamorem, laeditur, verbo pars quaevis corporis attente examinanda erit, cum singula, si foemina aliquam tantum resistentiam opposuit, laesionem admittit. — Effata ultima agonisantis, si quae pro-

tulit, eaque jurejurando confirmavit, instar testimonii legitimi protocollo excipiantur. — Interim cum in casu hoc animus commotus sit, caute procedendum, medicique hic intererit, inspirationes mentis delirantis, a relationibus simplicis veritatis distinguere.

Potestne puella conscientia privata violari, quin aliquid percipiat? Hoc triplici modo in effectum deduci posset: 1-o In statu soporis per spirituosa aut narcotica remedia inducto. 2-do. Sub insultu epileptico. 3-io. Sub somno.

1. Quod stuprum violentum facile sub influxu intoxicationis aut narcotismi committi possit, nulli subjacet dubio, casus enim plures hujusmodi adnotati habentur. Anno 1831 vir quidam criminis hujus convictus fuerat, quia Judices persvasi erant, quod reus juveni herae, quae victima illius brutalitatis fuerat, narcoticum, quo unice ad desideratum pervenit scopum, porrexerit.

2. Quod puella tempore somni insultum epilepticum insequentis, sine conscientia violari possit, non est adnotatum, impossibilis tamen talis casus non est.

3. Facultas medica Lipsiensis illius fuit opinionis, quod puella etiam tempore somni naturalis sine conscientia violari possit; juste tamen dubitare licet, deturne somnus naturalis tam profundus, sub quo actus tam potens sine sensu perfici posset, necquidem tunc juxta meam opinionem, si puella, ut multis aliis placet, per crebrius celebratas copulas carnales, actui huic penitus asveta est.

In casibus his tribus signa physica stupri violenti, si puella virgo fuerat, eadem sunt, quae in casu communi; delictum praeterea etiam per insequentem graviditatem, cujus initium recte in tempus commissi criminis incidit, evincitur.

Puellae tenerae, timidae sub assultu primo violento in animi deliquium incidentes, sine conscientia deflorari possunt. — Interim ubiubi animi absentia causa assignatur non oppositae resistentiae, caveat medicus forensis, ne ei illudatur, hinc in characterem individui violati moralem sedulo inquirat, et omnes circumstantias, cum casu coram se habente, in nexu quocunque positas, attenta perlustret mente.

Subsecuta, post stuprum ex supposito violentum, graviditas nullum praebet argumentum sive positivum, sive negativum pro eo, an foemina ad coitum consensum praebuerit? Coitu enim consummato, non est ratio suffiiens, cur foemina, sub similibus etiam circumstantiis concipere non posset; neminem enim latet plurimas puellas violenter defloratas, plane in casibus, ubi remediis narcoticis in statum exanimem conjectae fuerunt, matres evasisse. Ingenuose excogitatis argumentis contrarium aliqui probare voluerunt. Interim quod nunc partes oppositas tuear, ubi prius fervidissime possibilitatem, stuprum violentum puellae sanae robustae, si, ut decet, reluctata fuerit, inferendi, inpugnaveram, atque argumentum ab influxu animi in functiones sexuales repetieram, nullam involvit contradictionem; foemina enim tempore coitus relate ad animum agens passivum est, conceptio ergo omnem possibilem seminis in uterum injectionem sequi potest. — Pugnat pro hac re notum experimentum *Spallanzanii*, qui canem foeminam, injectione seminis canis masculi ope Syringis in vaginam impregnavit. — Simile, quamvis minus decorum, experimentum in homine institutum est. Sed neque perspicitur, cur processus hic in homine, non ejusdem sit efficatiae sicut in animalibus quadrupedibus. Posset quidem adduci, quod, cum natura nihil superflui moliatur, sen-

sus ille voluptatis, quem tam mulier quam vir tempore coitus experiuntur, destinatus sit, ad copulam hanc, propagationi speciei necessariam, conservandam. — Hoc admitti potest, et plane verosimile est, quod in omni foemina, per coitum etiam violenter extortum foecundata, quomodocunque haec ipsum actum et seductorem abominetur, sensus tamen aliquis voluptatis excitetur; nequaquam tamen inde fluit, sensum hunc gratum conditionem essentialem conceptionis constituere, indubitatum enim est in foeminis, statu in asphyctico constitutis, foecundum fuisse celebratum coitum; quod, etsi unicus tantum casus similis adnotatus existeret, analogiae experimenti a *Spallanzanio* adducti junctus, sufficit, ad conclusionem illam deducendam: graviditatem nullum impedimentum ponere, quominus veritas querelae, a violata, de facto cum corpore suo violento abusu, substratae, agnoscatur. Puella juvenis, filia cauponis cujusdam, in cubili profundo somno immersa jacens, a Postillione certo deflorata, edidit in lucem sobolem, quin unquam se viro carnaliter mixtam fuisse recordaretur, factumque rei tunc primo inclaruit, dum violator se patrem prolis esse fateretur.

Concubitus mariti cum uxore vi obtentus ad stuprum violentum non pertinet. Potest tamen et maritus certo sub respectu criminis hujus reus fieri, si nempe uxorem suam violenter stupranti, auxilium ferat. *Lord Audley* 1631 delicti hujus accusatus fuit; hic, quod uxorem suam firmiter in lecto teneret, dum unus domesticorum suorum, cui peculiariter addictus fuerat, eam violenter et citra consensum carnaliter cognosceret, capite damnatus est.

Utrum autem stuprum violentum in *meretricem* committi possit, quaestio est ambigua, quae prout stu-

prum violentum consideratur, jam affirmative, jam negative resolvenda est. Si pure spectetur ut laesio integritati et juri liberae dispositioni de corpore suo illata, tunc fundat Crimen vis et violentiae; si autem spectetur qua publicae securitatis violatio, violentaque pudicitiae debilitatio, prout spectari debet, tunc affirmandum est in meretricem, quod se tanquam rem, non tanquam personam haberi passa sit, stuprum violentum committi non posse.

Sodomia in puero per vim commissa, recte sub notione hujus criminis continetur.

Foeminam quoque stuprum violentum, prout et raptum committere posse nullum est dubium; sed cum casus hi rarissimi sint, quaestiones an stuprum violentum a foemina in foeminam? a foemina in virum committi possit? non huc, sed ad libros Romanenses potius, quibus se otiosum vulgus delectare consvevit, spectant.

In omnibus igitur casibus, ubi inquisitiones hujus generis legales instituendae sunt, sequentia imprimis puncta in considerationem summenda erunt:

1. Tempus, locus, hora et omnes circumstantiae, cum casu in propiori aut remotiori existentes relatione, ad amussim erunt inprotocolandae.

2. Aetas, vires corporis, status sanitatis et character partis utriusque.

3. Vitae conditio, educatio, energia animi et praecedens inter partem utramque nexus.

4. Argumenta, quod coitus vel cum consensu partis utriusque aut violentus locum habuerit, sollicite protocollo erunt inserenda.

5. Externa et in oculos cadentia signa violentiae illatae.

6. Si signa status morbosi manifesta occurrant, tunc caute inquirendum erit, an haec recentia, aut jam longioris temporis sint, et an delatus simili obnoxius sit malo; vel vero si malum jam inveteratum sit, utrum delatus eodem tempore, quo violentia commissa fuisse asseritur, eodem laboraverit. Denique

7; In inquisitionibus casuum hujus generis medicus forensis resultata propriae tantum experientiae et observationum substernat; nec unquam vel praejudiciis aut sensu commiserationis, secus laudabili, seducatur.

Theses.

1.

Inter artem et naturam nulla oppositio.

2.

Ubi sensibilitas, ibi nervus.

3.

Concisio Cataractae non minus quam extractio, curam sistit radicalem.

4.

Mater sana, prolem lactans, nec sanitatis, nec pulchritudinis damnum patitur.

5.

Signa infallibilia virginitatis non dantur.

6.

Vaccina tutoria, est unum e praecipuis tuendae populi frequentiae adminiculis.

7.

Cicuta cancrum si sufferre non valet omnem, tamen e Therapia illius eliminanda non est.

8.

Docimasia Pulmonum respirationis optime respondet scopo.

9.

Exercitium artis veterinariae medicum nequaquam dedecet.

10.

Medicus audaciam inter et meticulositatem medium teneat.

SOME TIGHT
GUTTERS

COVER
BOUND
INTO GUTTER